REGI REGUM,
DN. N. JESU CHRISTO,
ÆTERNO DEI FILIO,
SACROSANCTUM.

Hanc tibi votivam ſuſpendo, CHRISTE, tabeam,
Virgineo qui de ſemine natus homo es;
Qui lapis abſciſſus manibus ſine ab æthere, ſceptra,
Quà Sol exit aquis, quà cadit, Orbis habes;
CHRISTE Deus Patrum, PATRIQVE ante edite ſecla,
CHRISTE Renatorum Rex, Caput, Immanuel:
Tu mea tolle precor Fili peccata Davidis:
Tu nova contrito viſcera corde crea.
Te duce ſqualentem voti reus exuo ſaccum:
Te duce lætitia tempora inungo mea.
Iam novus abjecto veteri tibi ſervio cultu,
SANCTE PVER IESV, te propinq; ſequor;
Tu modò corde meo ſuccreſce tenellule IESV;
Errantem ſervum tuq; require tuum;
Nec patiare tuis manibus rapiamur ab hoſte,
Sed moderare tuo voce pedoq; grege.
Sic tua Majeſtas toto ſplendeſcat in orbe,
Sic radix Jeſſæ Gentibus imperites,
Converſâ propriâ, poſt longa piacula, gente,
Inter ovile unum Paſtor ut unus oves.

R. EGLINUS P.
23. Auguſti.
1607.